



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Confirmatio nostrorum bonorum per Iulium Papam II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

filij vestris iustis postulationib. |grato concurrentes assensu, omnes libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sine per priuilegia vel alia indulta, vobis & monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum ab Imperatoribus, Regibus & Principibus, ac aliis Christi fidelibus vobis & dicto vestro Monasterio rationabiliter indultas, specialiter autem parochiales Ecclesias & Capellas *Salisburgensis* Diocæsis, quas eidem Monasterio canonicè vnitas, annexas, & incorporatas esse asseritis, nec non decimas, primitias, oblationes, census, fructus, redditus, prouentus, terras, domos, possessiones, iurisdictiones, & alia bona ad præfarum Monasterium pertinentia, sicuti ea omnia iustè & pacificè possidetis, vobis & per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communitus. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis & communitationis infringere, vel eiusu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum *Petri & Pauli* Apostolorum eius se noverit incursum. Datum *Rome* apud sanctum *Petrum*, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quingentesimo quarto decimo. VI. Calendas Februarij, Pontificatus nostri anno secundo.

Confirmatio nostrorum bonorum per *Iulium*

Papam II.

IULIUS Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis Præposito & Conuentui Monasterij *S. Zenonis* propè *Reichenhall*, per Præpositum soliti gubernari, ordinis *B. Augustini Salisburgensis* Diocæsis, salutem & apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod iustum est & honestum, tam vigor æquitatis, quam ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinè officij nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras & locum, in quo diuino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum iustis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub *B. Petri* protectione suscipimus atq; nostra, omnes quoq; libertates & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus siue per priuilegia, vel alia indulta vobis & monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones secularium exactionum à Regibus & Principibus, ac aliis Christi fidelibus vobis & eidem Monasterio rationabiliter indultas, specialiter autem, decimas, primitias, redditus, prouentus, domos, terras, vineas, hortos, campos, prata, pascuas, syluas, nemora, possessiones, molendina, donationes, venationes, salinas, piscarias, mancipia, Dominia, infeudationes, iurisdictiones, iura etiam patronatus, & præsentandi, venandi, piscandi, infeudandi, & alia bona ad Monasterium prædictum spectantia, nec non parochiales & sine cura Ecclesias, quas eidem monasterio vnitas, siue incorporatas esse, & vos in vsus proprios canonicè obtinere asseritis, sicut ea omnia iustè & pacificè possidetis, vobis & per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communitus, salua in prædictis decimis moderatione concilij generalis. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam sciens nostræ susceptionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei ac *BB. Petri & Pauli* apostolorum eius se noverit incursum. Dat. *Rome* apud *S. Petrum*, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quingentesimo octauo, tertio Calendas Ianuarij, Pontificatus nostri anno sexto.